



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput IX. De Obedientia, & subjectione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

Quandoque accidit, ut persona ignota ex bona fama luceſcat, cujus tamen præſentia oculos intuentium offuſcat.

Putamus aliquando aliis placere ex conjunctione noſtra; & incipimus magis diſplicere ex morum improbitate in nobis conſiderata.

CAPUT IX.

De Obedientia & ſubjectione.

I. Valde magnum eſt in obedientia ſtare, ſub Præſolato vivere, & ſui juris non eſſe.

Multo tutius eſt ſtare in ſubjectione, quam in præſolatura.

Multi ſunt ſub obedientia magis ex neceſſitate, quam ex charitate, & illi pœnam habent, & leviter murmurant. Nec libertatem mentis acquirant, niſi ex toto corde propter Deum ſe ſubjiciant.

Curre hic vel ibi: non invenies requiem, niſi in humili ſubjectione ſub Præſolati regimine. Imaginatio

lo-

locorum, & mutatio multos fefellit.

2. Verum est, quod unusquisque libenter agit pro sensu suo: & inclinatur ad eos magis, qui secum sentiunt.

Sed si Deus est inter nos, necesse est, ut relinquamus etiam quandoque nostrum sentire, propter bonum pacis.

Quis est ita sapiens, qui omnia plene scire potest?

Ergo noli nimis in sensu tuo confidere: sed velis etiam libenter aliorum sensum audire.

Si bonum est tuum sentire, & hoc ipsum propter Deum dimittis, & alium sequeris, magis exinde proficies.

3. Audivi enim sæpe, securius esse, audire & accipere consilium quam dare.

Potest etiam contingere, ut bonum sit uniuscujusque sentire: sed nolle aliis acquiescere, cum ipsa ratio, aut causa postulat, signum est superbiæ, & pertinaciæ.